

*tivum.* Est autem hic Ellipsis duarum vocum על-בני *al-bene*, id est, in filios, quæ voces repetendæ sunt ex verbis præcedentibus. Ut integra oratio hæc sit: *Visitans iniquitatem patrum in filios, in pronepotes & abnepotes, in filios, inquam, eorum (parentum) qui oderunt me.* Etenim hic manifestè sermo habetur de visitatione iniquitatis patrum; quæ visitatio seu punitio exaggeratur ex continuatione in filios, & quidem non tantum in filios, propriè dictos, vel etiam ab illis proximos, id est, nepotes, sed etiam pronepotes & abnepotes. Confer Piscator. in Exod. 20. schol. 5. pag. 244. 245. & in Deuter. 5. schol. 15. p. 72.

54. *Nec tamen hinc excluduntur, sed reverà includuntur & connotantur liberi, Deum odio prosequentes: Et pii infantesque liberi hic excipiuntur: seu liberos, filiali amore & fiduciâ Deum Patrem complectentes, & suorum flagitiosorum patrum peccata fugientes, canesq; pejus & angue caventes, non ferit hæc Dei comminatio: siquidem Ezech. 18. v. 4. inquit Jehova: Anima (non innocens, sed) quæ peccaverit, ipsa (non alia infans) morietur. Et v. 14. Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis &c. hic non morietur (NB.) in iniquitate patris sui, sed vitâ vivet. Et v. 19. ulterius præoccupat & refellit Judæorum querelam. Et dicitis, inquit: Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vitâ vivet. v. 20. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum, non super alium innocentem.*

55. Unde Chrysoft. Tom. I. in homil. de Dicto Psalm. 84. (85.) v. 6, *Non in æternum irascaris nobis*, pag. 755. ait: Gratias tibi Deus, qui addidisti (Exod. 20. v. 5.) *in iis, qui non cognoverunt me.* Cæterum si taceres, omnes damnares. Demonstrasti ergò, quia pater, si fuerit contemptor tuus, & filius talis fuerit, æquè tibi non obediens, & nepos secutus fuerit vias avi, & patris sui: pronepos si ita attenderit, quod anterior generatio ejus: quia ergò te non cognoverunt, rependes eis secundum tertiam & quartam progeniem &c. Paulò post: Unusquisque pro facinore suo judicabitur, pro peccato suo punietur, pro malis suis in pœnam æternam mittetur. Item: Pondus peccatorum suorum unusquisque in se portat, pro suo peccato judicabitur &c. Et Augustinus Tom. 8. super Psalm. 108. (109.) p. 1264. scribit: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, &*

G  
pec-